

1525 netam Rempublicam, quæ licet terra, marique satis amplum imperium obtineat, unde pedestres, equestresque copias comparare, & classes instruere possit, Imperatori, ac Regi coniunctis obseruere qui poterit? Cuncta idcirco Caroli fortunæ, ac felicitati prospera eventura: neque vero ambigi posse, Regem ab hoc consilio non aversum fore; cum nullo sui regni detimento, quod maxime concupivit, sed aliorum damno libertatem consequiturus sit; qua insigni Cæsar's magnanimitate, ne ingratii nomen subeat, devinctum perpetuo futurum.

Alii, in quorum numero magnus Scriba, & Magister, ambo Italia orti; ambo odia, & similitates cum Prorege exercentes, Gallisque natura infensi, Imperatori suadebant, ut Italos Principes sibi benevolentia, arctoque foederis vinculo necteret: Regem spe, atque auxiliis Italorum destitutum imperata Cæsar's facere coactum iri, qui hucusque nobilissimæ provinciæ humeris sustentatus flectere animum ad Caroli postulata renuerit: non alia re magis aut Burgundiones in protestatem redigere, aut firmioribus radicibus suam potentiam coalescere posse, quam si Italos benigne complectatur, Gallos vi cogat, illorum societate firmum in Italia imperium, tutumque ab hostibus habiturum. Contra a Gallorum gente semper sibi pertimescendum, quæ natura impatiens, novarumque rerum appetens, bella e bellis ferere solita sit; atque Hispanorum æmula, ac fortunæ Caroli adversa, nunquam quietura sit, donec cuncta sanguine, cæde, excidiis urbium, & cladibus populorum redundarint; Rege præsertim, tot viris suæ gentis amissis debilitato, recenti victoria fracto, captivitate, diuturnaque carcere fesso, cuius rei memoriam nunquam sibi ex animo elapsuram, cunctaque ad ultionem consilia, vires amicos paraturum. In hanc fententiam vergere Cæsar, præconsultores fere omnes, uti tuiori adhærere, eo actiones omnes dirigere.

Itaque Michaelem Herreram, Alcantarae ordinis Equitem, in Italiam mittunt, virum & Italicarum rerum peritia probatum, & disciplinæ militaris gnarum. Mandant, ut Cæsareanos duces Davalum, Vastium, Leyam adeat, mentemque Imperatoris significet: Roman deinde ad Clementem proficisciatur;